



tam grauis lapsus viro eruditionis laude clarissimo, et in monumentis antiquitatis versatissimo sine iniuria exprobrari vix potest: praesertim cum, quod ex deficiente inscriptione et subscriptione dictae legis Baronius argumentum sumit, plane antecapta opinione nitatur. Leniori remedio laboranti Sidonio succurrendum esse censuit Cuiacius *Lib. V. Obseru. c. 9.* qui non incuria, sed scienter, quod Theodosius *L. 20. C. de poen. dierum* adiecerit, id Sidonium etiam senatus consulto Tiberiano deputasse suspicatur, *ut saepe, inquit, quod legibus Iuljis additum est posterioribus constitutionibus, nihilo minus constat, Iustinianum legibus ipsis adscribere multis in locis.* Quam quidem Cuiacii sententiam verissimam putat etiam Gothofredus *d. l.* Sed cum Aruandi iudicium fuerit senatorium, dictaeque legis, ut paullo post ostendemus, argumentum cum senatus consulto Tiberiano minus conueniat, hanc conciliandi rationem admittendam non esse satis liquet. Quae vero Sauaro *ad Sidonium d. l.* et post eum Idsinga huic conciliationi aduersari opinantur, ea vberiore dicendi materiam infra nobis suppeditabunt. Nisi igitur solis moribus introductum fuit, ut propter crebras fortasse, nimisque longinquas Imperatorum peregrinationes temporis spatium, a Tiberio constitutum, postea prorogaretur; nouo quodam senatus decreto, incertum quo tempore, probabile est viginti dies adiectos esse, ita tamen, ut, hac dierum accessione facta, nihilo minus adpellatio senatus consulti Tiberiani maneret. Eam
rationem